

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS

De

PRINCIPIIS
PHILOSOPHIÆ
ARCHITECTONICIS

Quam
Consentiente Ampliſſ. Facult. Philoſoph.
in Regia Abſenti Acad.

Sub
PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI

Mag. NICOLAI HASSELBOHM,

Math. Profeſſ. Reg. & Ord.


Publica cenſura modeſte ſubmittit
JOHANNES G. HELSINGIUS,
WIBURGENSIS.

Ad diem X Junii An. MDCCXXXV.
Horis locoꝝ ſolit.

ABOÆ, Excud. Joh. Ktämpe, Reg. Acad. Typ.

CONSPECTUS.

- §. I. *Originem humana cognitionis tradit.*
- §. II. *Occasionem nostræ cognitionis monstrat.*
- §. III. *Principia nostræ cognitionis asserit.*
- §. IV. *Præcedentis § continuationem continet.*
- §. V. *Principium Contradictionis sistit.*
- §. VI. *Præcedentem § continuat.*
- §. VII. *Principium rationis sufficientis exhibet.*
- §. VIII. *Ejusdem § continuationem completitur & finem dissertationi imponit.*



S. I.

Sophia ex conceptu Philomorias in lucem vidit edita duo famosissima monstra, quorum alterum est *Sceptisismus*, qui instar brutorum nihil scire (*) omnemque certi cognitionem in dubium vocare tentavit: Alterum *Dogmatismus* (**), qui in oppositum extremum rapitur, & rationem sufficientem omnium, quæ fiunt, se comprehendere posse falso sibi imaginatur (***) . Saniora sentiunt, qui media via, abjectam

A

Sceptico.

(*) *Nihil scire contradictionem involvit, debeo enim scire, me nescire. Et, quod nihil sit certum, quum absurdum sit, nec tam multos hec opinio nata est patronos, ac dogmatismus qui iterum in varias familias abiit. Hinc Dualistæ & Monistæ, Idealistæ & Materialistæ, Pluralistæ & Egoistæ, prout sua dogmata excogitarunt.*

(**) *Dogmatismus ille falsus, non solummodo in eo consistit, quod certam rerum cognitionem nimis gloriose venditet; sed & quod ad rationis normam, veritates revelatas referre audeat.*

(***) *Hoc solius Dei est, omnia possibilis, uno, & simultaneo*

Scepticorum dubitationem inter & factum *Dogmaticorum* progrediendo, Publice profitentur, dari veritates, quas ope *sensuum* (*) & vi sanæ *rationis* vel certo sciamus, vel *probabiliter* tantum, vel quas denique inter *mysteria* referre necessum habeamus (**). Non est quod mentis nostræ imbecillitas nos terreat (***) licet enim non possimus uno & simplici actu, omnia intelligibilia & sensibilia intueri & comprehendere; datum tamen nobis est, per partes sensim ad totum pervenire, & plurima, quæ compositionem & divisionem negant abstrahendo, unumquæ post aliud intelligendo, considerare.

§. II.

actu distinctissime cognoscere, & semper agere secundum principium melioris. Alia omnino ratio hominis, qui vi intellectus sui finiti & voluntatis perversa, limitationem in viribus cognoscendi agnoscit.

- (*) *Sensus sunt facultates res confuse representandi, & quæ tales finitam hominis indicant naturam; unde constat quod homo nunquam, more Dei cuncta distinctissime suscipere animi possit. Rerum itaq; singularium a sensibus representatarum similitudines observat ratio, detegit nexus, judicat, & novas elicit veritates.*
- (**) *Hicce Walceiu peculiarem assignavit disciplinam, quam de Mysteriis Philosophicis inscripsit, Historiam præmittens Philosophiæ Occultæ.*
- (***) *Huetius dubitandi artem ad nimum evexit fastigium in suo opere: Traite Philosophique de la foiblesse de l'esprit Hum. Chap. 2.*

§. II.

PRimi omnium Philosophi, per *experientiam* operationes varii generis & casus singulares, & intra in sua natura, & extra in hoc universo observant & admirati sunt (*). Variis dein suis opinionibus (**) suas meditationes adhibuere, constitueruntque notiones abstractas & uniuersales, formantes ita veritates eruditas (***) ; quæ veritates, initio

(*) *Licet vel homini, nihil notius debeat esse homine, tamen sapientibus Græcis fuit animal admirandum & naturæ miraculum; Platoni θάυμα θαννάτων; Tullio divinum; & Plinio mundi epitome. Sic ut, quæ omnes admiramur in μαγεύσσω, id in hoc μαγεύσσω. Hinc recte Aristoteles: διὰ τὸ θαυμάζειν ἐὶ ἀρχαίτοι καὶ τῶν καὶ τὸ πᾶτων, ἡξάντο φιλοσοφείν. Et alio loco: Ἐστὶ δὲ ἡ σοφία πιδῶν θαυμάσων ἐπισημῶν. Ab admiratione itaq; inquire in causas rerum cœperunt Philosophi, dicit Lipsius, & repertis ipsa desit, secutus est pulcherrimus Philosophiæ fructus: nil admirari. An autem hunc fructum consecuti unquam antiqui Philosophi, & an consequi possint recentiores, dubito. conf. Volsii Ont. §. 74. not.*

(**) *Dicunt omnes sapientiam nihil opinari; & Cicero hujus vitii seipsum redarguens dixit se magnum opinatorem,*

(***) *Homines bestiarum instar agunt, quatenus consecutiones perceptionum quas habent, non nisi a principio memoria pendent. Et instar medicorum Empiricorum, quibus*

4
tio singulatim & sine ordine inventæ sunt; sed quum ratio nostra pleraque non *intuitive* sed *discursive* intelligit i. e. unum ex altero & pluribus colligendo, in eo quoque suas posuerunt cogitationes, ut veritates inter se conjungerent, & quomodo una ad alteram referatur, ostenderent. Hinc alia tanquam *principium* alia tanquam *conclusio* habita fuit (**). Hoc jam fecundissimum argumentum de principiis Philosophiæ, quod humanæ cognitionis *architectonica* appellari merito solet, elegimus; sed, ut Benevolus Lector facile videbit, non nisi per summa capita eundo illud persequi nobis datum fuit.

§. 3.

simplici praxi absq; theoria utuntur. Et nos non nisi empirici sumus in tribus actionum nostrarum quartis; e. g. quando lucem diei crastini expectamus empirice agimus, propterea quia constanter ita factum. Astronomi per rationem illud judicant. vid de principiis Leibnit. act. Erud. Lips. supp. T. VII. S. XI. p. 504,

(**) *Heic cavendum est, ne principia confundantur cum initiis nostræ cognitionis. Initia sunt unde cognitionem quamcumq; auspicamur, principia vero in quæ demonstrationes resolvimus. Hinc resultat distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi habitus, tanto quoque quis solidior censetur, quanto in probandis premisis ad prima principia seu notiones irresolubiles propius accedit.*

Q uemadmodum connexionem & seriem quorundam rerum, ita harmoniam quoque veritatum (*) quum Philosophi obseruarint, talem investigarunt propositionem (**), quæ in serie veritatum in suo genere prima esset, quæque rationem sufficientem omnium sub se veritatum in se haberet. Hinc tot principia complexa, quot in Philosophia disciplinæ *Theoreticæ & Practicæ* (***) . Quum autem per-

(*) *Magna tamen est differentia inter nexum propositionum & rerum: hic innuit nihil aliud, quam quod nihil quicquam Deus fecerit sine ratione sufficiente; adeoque cur una res sit, ratio contineatur in altera; harmonia autem & nexus propositionum est, quando veritas unius continuo patet per veritatem ceterarum vid. Volfii Hor. subf. Trimestr. Brum. III. 2. a 1729.*

(**) *Duos præcipuos habemus fontes principiorum omnium; inductionem, qua ex pluribus singularibus, experientia perspectis, colligimus universale; & Definitionem, quæ jure meritoque dicitur demonstrationis principium: nam quum principiorum materiam experientia quasi congerit, definitio illam efformat.*

(***) *Hæc prout vel mediate vel immediate statim ex universalissimo fluunt, & per idem demonstrari possunt, in uniuersalia & particularia distingui solent, quorum illa, quia pluribus disciplinis applicari possunt, communia, hæc propria vocantur. Utraque autem pro*

periculum sit, ne in illis aberremus, solliciti fuerunt de inveniendis omnium primo & universalissimo principio, ultra quod intellectus in suis ratiociniis progredi nequeat. Etenim quum intellectus sit finitus, & veritas porro non nisi simplex, ut demonstratio demum subsistat, necesse est, Requiritur autem ab eius generis propositione fundamentali & *Generales & particulares* characteres: *generales*, quos habet cum aliis principiis ex primo ortis communes: quod *vera* sit, quia *salum*, principium veri esse simul nequit: *perspicua*, quia alias obscurum per æque obscurum probaretur: & *adequata*, ut ad alias veritates demonstrandas facile possit adplicari. Quod vero *peculiare* erit huic cognoscendi principio, in eo consistit, quod *indemonstrabile* sit. Hoc autem non ita accipiendum, ac si absolute demonstrari non possit, nititur enim ipsa immediata lenfione; sed quod non ex alia propositione demonstrandum sit, si primum esse debeat; si enim hoc daretur nec *primum*, nec *unum* esset, quod ta-

pter manifestum cum primo principio nexum, sapius sine demonstratione admittuntur; atque tum in suo genere prima & axiomata vulgo dicuntur. Talia nobis passim obveniunt in Metaphysica tanquam universalium doctrina, & in aliis disciplinis Theoreticis perpturima. In Practicis autem multe fuerunt contentiones de omnium primo principio, quas vide apud Moralistas.

tamen ex illius indemonstrabilitate sequitur. Sed dolendum (*) quod Philosophi non convenient, quanam sit tandem illa propositio.

§. IV.

Quoniam autem veritates quæ sub incudem veniunt nostram, vel sunt *necessariae* vel *contingentes*, necessum fuit recentioribus, inprimis Illi *LEIBNITIO* & Cel. *VOLFIO*, duo constituere principia, alterum *contradictionis* pro veritatibus *necessariis* (**). Alterum *rationis sufficientis*, non tam pro veritatibus *possibilibus*

B

(**)

(*) *Nec immerito, quum enim nulla unquam demonstratio absq; principio quodam absolvi queat, quis quantusq; principiorum usus sit, non potest esse obscurum. Agnoscit hoc ipsum Werulamius in suo de Augmentis Scientiar. Libro, quum ita dicit. satis superque scimus axiomata recte inventa tota agmina operum secum trahere. Agnoscunt hoc etiam satis superque recentiores, quum in hoc uno puncto soliditatem ponunt omnis nostra Philosophica cognitionis.*

(**) *Ejusmodi veritates nobis obveniunt in Algebra, Geometria, Arithmetica, Logica, Metaphysica, dicere & ausim in disciplinis Matheseos puræ quibuslibet. Ejus generis itaque veritatis contradictorium est impossibile & dicitur absurdum, ut e. g. quod bis duo sine quatuor: Triangulum rectilineum tres habeat angulos æquales duobus rectis, ita verum est ut contrarium exhibeat contradictionem.*

(*) *quam contingentibus (**).* Utroque autem hoc principio uti nos posse, in demonstrandis utriusque generis veritatibus, & contingentibus & necessariis, diverso licet modo & respectu conceditur (***)

§. V.

Prinzipium itaque contradictionis ideo principium est veritatum necessariorum, quia rationem sufficientem veritatis suæ agnoscit in eo, quod de uno eodemque subjecto, unum idemque predicatum simul affirmari & negari non possit; ut, si ostendero rem vel propositionem aliquam esse talem, ut aliter con-

(*) *Requiritur etiam ratio sufficiens ad possibilitatem, scilicet ut hoc vel illud, hoc vel illo modo fieri possit, ut non fiat, & ratio quaedam sufficiens esse potest ad id, ut fiat A. & simul ad id, ut fieri possit B, sicut recte monet Bulfingerus in Dilucid Phil. s. I. c. III § LXX. p. 68.*

(**) *Hijusmodi veritates in Physica & morum doctrina, aliisque artibus invenire licet, & nituntur principio rationis sufficientis, quod jubet eligere excellentissimum quodque. Hujusque veritatis contradictoria quum sit possibilis dicitur inconveniens. Quod autem haec veritates cum necessariis male confundantur a quibusdam, observavit Leibnit. Theod. §. 20. 21.*

(***) *vid. Volfii Cog. rat. de Deo, mundo & anima humana §. XXXI. confr. Bulfing. l. c. §. LXXXIX. p. 74 ubi etiam observat, quod principium rationis sufficientis in actu signato possit referri in principium contradictionis, sed non in actu exercito.*

constituta aut concepta involvat contradictionem, necessitatem illius evicero. Atque sic omnis veritas necessaria est propositio, cujus contradictoria est impossibilis. In eo conveniunt omnes ut principium hoc hisce efferatur *terminis* generalibus: *Impossibile est, idem simul esse & non esse (*)* Verum hoc est quia prædicatum subjecto suo conforme & vicissim: evidens quia nemo, qui saltem vocabula intelligit, de hac assertione dubitare potest: quod *adaquatam* sit ex adplicatione patet: denique *indemonstrabile* est; quia simulac cogitationis hujus nobiscum consciis fuerimus, ad exempla attendentes, sine probatione concedimus, fieri non posse, ut idem simul sit & non sit, seu quod perinde est; si A sit B, falsum est idem A non esse B, sive A denotet ens absolute consideratum, sive sub data conditione spectatum (**). Atque sic concludimus, quod verbis quidem illustrari, & a posteriori per deductionem ad absurdum confirmari queat; a priori autem, per aliam propositionem

(*) Hanc propositionem jam olim adhibuit Aristoteles, & merito illam appellavit ἀεὶ καὶ τὸν ἀδύνατον ἀξιώματα πᾶσι, in lib. Metaph. 4. c. 3. Hac eadem quoque usi sunt Scholastici in Philolophia prima, instar axiomatis maxime generalis, ut alios taceam

(**) Conf. Wolfii Ontol. §. 27 & 28. ubi quoque fundamentum hujus propositionis asseritur, quod est experientia, eam, inquit, experimur mentis nostræ naturam, ut dum ea judicat aliquid esse, simul judicare nequit idem non esse & seqq.

nem priorem demonstrari non possit principium hoc universalissimum.

§. VI

Licet jam hæc quæ in genere de principiis diximus, & in specie de primo omnium, plus satis constare videantur omnibus sana mente præditis; fuerunt tamen, qui non tantum plane negarunt contradictionis hujus principii usum, sed & qui utilitatem omnem principiorum tollere conati sunt (*): fuerunt, qui

(*) Sufficiet nobis in præfenti notasse Lockium, qui omnem usum principiorum tollere conatus est in suo libro de intellectu humano IV. c. VII. Syrbius autem non tantum contra Lockium usum principiorum vindicavit, sed & contra. Nicol. Hieron. Gundlingium principium hoc contradictionis in via ad veritatem Part. I. cap. 3. sect. I. oppugnantem. Conf. Syrbii Inst. Phil. Eccl. Part. I. cap. III. Titius de Arte cogitandi. cap. 3. §. 75. & 79. 80, negat omnino tale dari principium, quod omnes contineat veritates, dicit quoque principium quod contradictionis vocant, nec universale esse posse, nec ullius usus; sed otium nobis fecit Gerhard in Delin. Phil. Ration. Lib. I. c. 7. §. 34. Auctor denique Artis cogitandi anonymus dicit Part. IV. cap. VII. Impossibile est idem simul esse & non esse, clarissimum quidem est & verissimum, led nullus video, ubi nam prodesse possit ad scientiam generandam; sed neque nos illud videmus, quum hoc non sit nostri principii officium.

qvi loco hujus principii alia excogitarunt (*): fuerunt, qvi, quum principia tradere nostræ cognitionis voluerint, male illa confundere cum *criteriis & canonicis* veritatis (**): sunt denique, qvi huic principio aliud

(*) *Notissimum illud Cartesii: (vid Princip. Phil. Part. I. §. 7.) Cogito ergo sum, principium universalissimum multis fuit. Neque refragamur, si modo queritur de primo principio ratione ordinis, & non ratione conclusionis: in illo sensu enim admittimus, siquidem in omni nostra cognitione illud vel supponendum est, vel etiam initium ab eo faciendum, in hoc sensu autem plane negamus. Cartesius, ipsemet dicit se hoc usum fuisse contra Scepticos, quos quum nullam admitterent veritatem, hoc ipso convincere voluit. Male itaque intellecta mente Cartesii, affecta ejus hoc principium prætulerit principio contradictionis. Vid. Andala in Exercitat. Acad. in Phil. Prim. & natur. p. 15. seqq. Chauvin. Lexicon Philol. Holman. vid. quoque Vofii Ontol. §. 55. not. de reliquis Scholasticorum principiiis confr. Syr. l. c. Mitius autem Syrbio de illis duabus propositionibus judicat Volfius Ont. §. 53. 55. nempe quodlibet est vel non est, seu principium exclusi medii inter duo contradictoria, & ens est ens, seu quodlibet dum est, est, principium identitatis, vel positionis, tanquam corollaria sub principio contradictionis ponit.*

(**) *Hujus culpæ reus est Tschirnhausen Medicin. Mentis Part. 31. Sect. 1. contra quem, confr. Thomasi*

ud' conjungunt (*). Mirari sane quis possit quod Philosophi non convenient in eo, quod veritatis omnis quasi sacra ancora est; sed ut taceam alias, hujus mali causa est, quod fecunditas Principii Contradictionis antea non tam splendide eluxerit, ut hodie opera & studio Cel. VOLFII; auspicamur itaque huic nostro principio mitiora posthac fata.

§. VII.

us in suis *Monahgeschichte 1688. Mart. p. 397. qui tamen ipse nec satis distinctis criteria & principia veritatis in Einleitung zu der Vernunft-Lehre Cap. 6. §. 20 seqq. Huc quoque referimus Gentkenium, Malebranchium, Langium, Auctorem artis cogitandi & Gundlingium. Quisquid sit, multum hoc ipsum auxit contentiones de primo & universalissimo principio. Alii enim nullum discrimen dicebant inter principium & criterium ut Hollmannus & Rudigerus. Per criterium intelligimus signum ex quo patere possit ubique, num propositio hæc vel illa vera sit nec ne. Syrbius itaque recte ubi de evidentia cognitionis agit, agit quoque de criteriis veritatis, ubi autem de soliditate, de principiis monet. Concludimus ergo quod veritas canonis: quicquid clare & distincte percipio &c. fundata sit in eo, quia impossibile est idem simul esse & non esse.*

(*) In exemplum, unum adferamus Syrbium, admisit ille principium Contradictionis, tanquam cognitionis indirectæ principium & pro cognitione directâ tale excogitavit; Quæcunque cogitationes conveniunt inter se, illæ sunt veræ, adeoque falsæ quæ non conveniunt, sed leg. Volfii Ontol. §. 54. ubi & directâ & indirectâ demonstratio vindicatur principio contradictionis.

§. VII.

Qui non cum fatalissis omnem contingentiam tollunt, concedant oportet dari etiam veritates contingentes. Veritas autem contingens, quum sit propositio de hoc vel illo facto, cujus contradictoria in se æque possibilis, rationem sufficientem suæ veritatis non in eo agnoscit, quod de uno eodemque subjecto unum idemque prædicatum simul affirmari & negari non possit; sed in eo unde intelligitur, cur omnia quæ in universo fiunt, potius ita quam aliter contingant (*). Has itaque veritates æque ac necessarias, suum oportet agnoscere principium in quo præcise fundentur. Hinc recentiores (**)

quum

(*) Suum quoque fundamentum hoc principium in experientia agnoscit, eam enim experimur mentis nostræ naturam ut, in casu singulari, non facile quis admiserit, aliquid esse sine ratione sufficiente, vid. Volfii Ontol. §. 71.

(**) LEIBNITIUS hoc principium orbi erudito universaliter primus exhibuit, quod multi antea Philosophi, & alii circa speciales casus usurparunt. Ansam huic speculationi Archimedis statica dedit, ubi asseritur, æqualia gravia ab æqualibus longitudinibus æquiponderare; non enim adesse rationem, quare in hanc potius partem inclinaretur libra, quam in alteram. Atque sic si libra utrinque equaliter onerata essent, nullum sequi præpondium. Videbat itaque LEIBNITIUS in proposito hæc; ubi nulla est ratio præpondii, ibi nullum præpondium supponi priorem & generaliore; ubi nulla est ra-

quum viderent veritates contrarie oppositas in eodem principio, quæ tales, fundari non posse, principio Contradictionis adiciebant principium rationis sufficientis, quod, ut hisce terminis efferatur conveniunt, quanquam id Leibnitius negative profert: *Quicquid existit, illud agnoscit rationem sufficientem existentie suæ, cur ita potius quam aliter existat (*)* Characteres omnes quos adhi-

tio alicujus effectus, ibi nec effectus est. A Leibnitio itaque primum in Metaphysicam introduci cepit. Volvius autem hoc non minus quam principio contradictionis ad stabilienda firma & inconcussa omnis cognitionis fundamenta usus est, & in numerum principiorum ontologicorum retulit, & geminam ejus demonstrationem affert, quum a Leibnitio non nisi per inductionem probaretur, cujus fide id quoque assumerat Archimedes.

(*) Videtur hæc propositio Scholasticis in usu fuisse, quando in Physicis instar axiomatis ponebatur: nihil esse sine causa. Sed quum differentia sit inter causam & rationem, non confundendas esse monuit Volvius Ont. §. 71, ubi etiam observat neque Cartesium hæc probe distinxisse, in probatione existentie Dei, quum ita dicit: Nulla res existit, de qua non possit quæri, quænam sit causa, cur existat. Huc quoque referamus Ciceronem, cui cognitum videtur fuisse hoc principium sed non recte adaptatum: Nihil, inquit, fieri sine causa potest, nec quicquam sit quod fieri non potest. Lib. II. de divinatione. Insuper annotavit Volvius in notis adorationem de Sinarum Philosophia practica, quod

adhibuimus Principio Contradictionis, huic quoque competunt. Verum enim, *adequatum* & ita *evidens* est, ut licet a posteriori verbis & exemplis illustrari possit, & a priori per principium contradictionis demonstrari, se tamen ipsum demonstrari recuset. Ita ut, si aliquid esse ponitur, ponendum etiam est aliquid unde intelligitur cur idem potius sit quam non sit. Ponamus A esse sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit. Ergo nihil ponendum est, unde intelligatur, cur A sit. Admittitur adeo A esse propterea quod nihil esse sumitur; quod quum sit absurdum, absque ratione sufficiente nihil est, seu, si quid esse ponitur, admittendum etiam est aliquid, unde intelligitur cur sit (*). Concludimus itaque, quod, quum hoc principium ita universale sit, ut quodcumque ens tibi explicandum sumeris sive fuerit *Logicum, Metaphysicum, Physicum* vel *Morale* ex hoc deducere possis, haud temere sit e Philosophia rejiciendum.

§. VIII

A Nequam finem huic nostrae *Dissertationi* imponimus, paucis notandum existimamus, quod de principio rationis sufficientis inter eruditos varie certatum sit (**); sed ea haecenus fortuna, ut una

C

cum

etiam Confucius hoc principium tanquam universaliter verum agnoverit, in veritatibus quoque moralibus.

(*) Volfius in *Ontol.* §. 70.

(**) Scripserunt contra hoc principium Ioach. Langius, & Langhausen in sua apologia *Dissertationis* de absoluta omnium quae existunt necessitate, in *Theo-*

cum principio contradictionis, ab injuria & ruina vindicatum, cum illo jam simul, sæcunditatem suam, per late patentis Philosophiæ campos, magis magisque, diffundat.

Hæc vero *principia*, per multa secula non sine dispendio veritatis, qua *actum exercitum* sterilia licet jacuerint; tamen, in laudem qualemcunque horum principiorum, ultimo, dicere possumus id, quod *Tacitus*, de imaginibus *Cassii & Bruti*, in elatione *Junia* non gestatis, quum tamen aliæ plurimæ ducerentur, dixerat: *EO MAGIS PRÆFULGEBANT, QUOD NON VISEBANTUR.*

S. D. G.

dicæa Leibnitii asserta, quasi confectionarium illud ex hoc principio fueret. Huc referendus quoque Clarkius, ut alios taceam. Et multa omnino sunt, quæ huic principio objiciunt; tantos autem componere fluctus, quum nostra, non sit virium, ablegamus cupidum harum, ad librum inscriptum: *Mierckwürbige Schriften, welche auff befehl der Princesin von Wallis, zwischen dem Baron von Leibnitz und D. Clarke, über besondere Materien der natürlichen religion gewechselt worden. Vid. quoque Stræhlerus, & Rudelius in Dissertatione de novis aliquot axiomatibus, nec non lib. de Philosophiæ Leibnit. & Volk. ulu in Theologia, ut taceam alia horum temporum eruditorum scripta, in quibus utrorumque sententia & objectiones, sine partium studio, expenduntur & diluuntur.*